

LVNÆ DIE 22 M. OCTOBRIS A. 2007

A.d. XI Kal. Novembres a. MMVII

I 4 0

M E L I S S A



**FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA**

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ

SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS  
Gaius Licoppe

REDACTRIX  
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / <http://users.skynet.be/Melissalatina>

Bureau de dépôt : 1040 Bruxelles 4 / Afgifte kantoor 1040 Brussel 4



## DE HUMANITATE ET HUMANISMO

Magnum conventum, c.t. « Humanitas », Neapoli mense Iulio institutum infeliciter participare non potui, quo non impeditur quin de hoc maximi momenti themate cogitem. ¶ Imprimis oportet bene sciamus de qua re loquamur, cum de « humanitate » disputamus. In lexico « humanitas » primum significat naturam humanam, quantum differt a bestiarum natura, sed ubi virtutes et vitia pariter inveniuntur. Secundus sensus est id quod Græce vocatur εὐνοια et Latine significat benevolentiam, affabilitatem, benignitatem. Tertio loco agitur de animi cultu et ibi vocabulum « humanitas » videtur non sufficere, sed adiectivo firmandum, cum apud Ciceronem legamus « communium litterarum et politioris humanitatis » (*de Or.*, 2, 72). In fine vocabulum « humanitas » etiam adhibetur ad significandam comitatem, urbanitatem. ¶ De qua ex his significationibus disputandum erat in conventu Neapolitano? Manifesto de « politiore humanitate », cum de litteris Latinis et Græcis pertinaciter colendis actum sit; « Discant adulescentes Latine et Græce et viva voce » sunt verba Michaelis von Albrecht in prima conventus oratione. ¶ Valahfridus Strohon solum de origine vocabuli « humanitatis » disseruit, sed etiam de vocabulo « humanismo », cui complures tribuuntur sensus. Demonstrare voluit notionem humanitatis e maxima parte a Cicerone formatam et expressam esse. « Qui pater aut avus, ait, non solum studio humanitatis, sed etiam humanismi aliquo iure dici potest. » ¶ Cletus Pavanetto dixit vocem, quæ est « humanista », in Italia apparuisse in ipso Renascentiæ culmine, ad professorem litterarum humanarum appellandum. « Vox derivatur, ait, ex prisca locutione 'studia humanitatis', qua M.T. Cicero et A. Gellius significare voluerunt institutionem liberalem seu litterariam. Nostra ætate inducta est etiam vox 'humanismus' ad indicandas bonas litteras, seu artes liberales. » ¶ In Francogallia septimo decimo sæculo apud Iacobum Benignum Bossuet, Francogallum episcopum scriptoremque, apparet vocabulum « humaniste » ad hominem designandum studio linguæ Latinæ et Græcæ deditum. Duodevicesimo sæculo Ludovicus de Saint-Simon in Memoriis vocabulo « humanités » significat classes collegii, ubi docentur litteræ Latinæ et Græcæ. Nemo Francogallice de « humanisme » loquitur ante medium undevicesimum sæculum et, cum hoc vocabulum primum apparet in supplemento lexici Littré, significat « bellas litteras colere ». ¶ Dubius ergo non est sensus originalis vocabulorum humanitatis et humanismi, sed decursu temporum valde mutatus est. ¶ Ferdinandus Robert, Francogallus academicus, in libro *L'Humanisme*,<sup>1</sup> quem anno 1946 in lucem edidit, dicit,

peracto altero bello mundano, vocabulum humanismi in omnium ore esse, relicta originali significatione, ad patefaciendam novam voluntatem personæ humanæ respiciendæ, cum tam atrociter contempta sit a regimine Hitleriano. Novus regendi modus pro scopo habet hominem habere ut finem, non ut instrumentum.

¶ Ferdinandus Robert hanc novam humanismi significationem definire conatur; qualis vitæ humanæ philosophia digna est, quæ sibi assumat solitum nomen nostræ hereditatis Græco-Romanæ? Humanismum, ait, vocare licet omnem animi motum, quo reiicimus præcedentis ætatis cogitandi consuetudines, principia doctrinasque, hac una conditione, ut animus renovandus nova e natura humana hauriat. Summas inexhaustasque divitias in ipso homine esse, hæc est verissima notio humanistica. ¶ Humanismus necessario nititur individualismo, unde cum politicis sæpe oritur conflictio. Nolle se alicui auctoritati intellectuali submittere, hic est humanismus; mens humana est libera. Quare institutio scholaris solum efficere debet, ait auctor, ut discipulus libera mente et arbitrio frui discat; magistris ergo non licet aliquam philosophiam vel religionem docere. ¶ Quid vero docendum est ad hoc propositum assequendum? Certe in litteris vernaculis multarum nationum sunt satis multa opera classica, i.e. quæ oblivioni restiterunt, ut in eis condatur animi cultura. Vix tamen fieri poterit ut linguæ modernæ magis ad finem culturalem doceantur quam ad usum cottidianum; præterea maxime spectant ad differentias humanas explorandas; contra litteræ Latinæ et Græcæ docent id quod universum et constans est in natura humana.

¶ Tradita methodus humanistica est summus unitatis gradus, quem adhuc attingit mens humana; profundissima cogitatio occidentalis sibi vult in unoquoque hominem fraternam animam invenire, cuius cogitandi modus idem sit. ¶ Ferdinandus Robert addit inutile esse de Latino et Græco pronuntiatu curare, cum hæ linguæ iam non sint in usu cottidiano. Linguarum modernarum pronuntiatum addiscere plerumque arduum et molestum est, itaque hoc in linguis antiquis neglegere licet, magno cum discipulorum emolumento. ¶ Quid valent verba Ferdinandi Robert? Demus litteras antiquas aptissimas esse ad humanismum condendum, sed qui discipulus has litteras re vera legit? Etiam ante medium vicesimum sæculum, cum ipse discipulus essem apud Iesuitas, ubi lingua Latina et Græca præ ceteris materiis docebatur, discipuli minimas tantum harum litterarum partes legebant. ¶ Cicero ad politiorum humanitatem pervenerat, cum se litteris Græcis imbuisset. Duas tantum linguas callebat, quibus ambabus uti valebat tum scribendo cum loquendo. Ætate

## AD LECTOREM

renascentium litterarum docti summa curiositate incubuerunt in Veterum opera Latina et Græca, ubi multa diu latentia inveniebant. Inde scientiæ naturales progressus facere cœperunt ; docti illius ætatis dicebant se esse nanos gigantum humeris insidentes ; decursu tamen temporum tanti facti sunt scientiarum progressus, ut mox veterum scientia omnino despiceretur et linguarum antiquarum institutio magis magisque sclerotica fieret. ¶ Usus ad vitam servandam necessarius est ; hoc de lingua Latina monuit Iohannes Capelle in conventu, quem anno 1956 Avennionem instituerat. Hoc fuit initium Motus Latinitatis vivæ, cui infeliciter regentes Europæi non faverunt. ¶ Nunc autem quomodo tractatur lingua Latina ? ¶ Officialiter solum exstat institutio sclerotica linguæ mortuæ ; hæc sola pecuniam publicam accipit. ¶ Heredes Motus Latinitatis vivæ pergunt linguam Latinam habere sermonem vivum ad usum cottidianum aptum. Pauci sunt ac non solum a regiminibus non agnoscuntur, sed etiam a plerisque institutionis publicæ docentibus impugnantur. Pecuniam publicam numquam acceperunt. Unus sum ex his paucis et multos iam annos in vestigiis Cælestis

Eichenseer operam do ut sermo Latinus pacificum vinculum sit inter quam plurimos homines. ¶ In conventu Neapolitano via media electa est ; finis est se litteris antiquis imbuere, sed hoc fit viva voce. ¶ Quid de hodierno discipulo ? Non solum suo sermone patrio, sed etiam linguæ Anglicæ imprimis studere debet ; his adduntur materiæ hodie magni momenti, ut mathematica et scientiæ naturales ; vix ergo relinquitur tempus ad linguas antiquas satis addiscendas, ut discipulus litteris frui valeat. ¶ Quæ cum ita sint, evanescentne humanismus ? Certe non, si Ferdinandi Robert definitionem accipimus, ita ut sit, ut supra dictum, « omnis animi motus, quo reiicimus præcedentis ætatis cogitandi consuetudines, principia doctrinasque » ; hoc enim manifesto factum est nostra ætate. ❀

Gaius LICOPPE

---

1. Fernand Robert, *L'humanisme*, Paris, Les Belles Lettres, 1946, secunda editio 1974.

## HOMO HOMINI DEVS

adagium 69

# QVID M.T. CICERO DOCTRINÆ DE NATVRA DEORVM CONTVLERIT

– scripsit Lucas Willemarck –

Nonnulla M.T. Cicero scripsit opera philosophica, quibus Græcorum doctrinas Romanis non tantum tradiderat sed, eruditione scientiaque illorum eorum ingenio constituendæ civitatis accommodata, etiam multam operam dedit novis verbis fingendis, quibus usque adhuc ad cogitationes philosophicas exprimendas utimur. Etsi artem Græcorum solum imitatus esse fertur eamque quodammodo in multitudinem eruditorum diffudisse, nihilominus verborum sensum latine vertendo interdum ita mutavit, ut traditio cum philosophorum mediæ ævi tum maxime sæculorum posteriorum magis interpretatione Ciceronis quam fontibus Græcis inniti videretur.

Cicero vero, cum librum de natura deorum scriberet, doctrinas Epicuri, Stoicorum, scepticorum Academicorumve inter se comparare atque in utramque partem disserere voluit, ut quæ cui quam ob rationem anteponebatur videretur doceret. In primo libro originem deorum quemadmodum Velleius explicaverit narratur, cui deinde Cotta cur argumenta Epicuri refellerit respondet. In secundo libro doctrina stoicorum a Balbo explicatur. Tertio libro Cotta academicus multis argumentis, quibus Cicero ipse maiorem partem adsentiri videtur, qua de causa neque Epicurum neque Stoicos probaverit sibi explanare proponit.

In diversis autem Ciceronis sententiis de natura deorum exponendis aliquam operam dabimus ut quomodo illæ philosophorum posteriorum doctrinas decursu sæculorum conformaverint demonstratur.

## A. INTERPRETATIO EPICURI AC STOICORUM DOCTRINÆ.

Cicero Epicurum negare per se ipsos constare deos non ausum esse sentit, ne quid invidiæ subiret aut criminis in societate, quæ omnia ad cultum deorum pertinentia diligenter tractaret. Re vera deos nihil agere nihil curare confirmat. Quocumque hæc se habent Marcus Tullius exquirere vult utrum di sint, deinde quales sint, tum an ab iis mundus regatur, postremo an consulant ii rebus humanis necne. Tam variæ ei doctissimorum hominum tamque discrepantes sententiæ videntur, ut prudenter modo Academicorum primum a rebus tam incertis adsensionem cohibendam esse censeat.<sup>1</sup> Addit autem de figuris deorum et de locis atque sedibus multa dici, deque his summa philosophorum dissensione certari. Quæ dissensio nisi diudicatur in summo errore necesse est homines atque in maximarum rerum ignoratione versari.<sup>2</sup> Sunt vero philosophi et fuerunt qui omnino nullam habere cense-

rent rerum humanarum procurationem deos. Quorum si vera sententia est, Cicero miratur quæ possit esse pietas, quæ sanctitas, quæ religio. Sin autem dei neque possunt nos iuvare nec volunt, nec omnino curant nec quid agamus animadvertunt, nec est quod ab iis ad hominum vitam permanere possit, quid est quod ullos deis immortalibus cultus honores preces adhibeamus?<sup>3</sup>

Quæ ut diudicentur, Ciceronis sententia homines oportet Carneadem sequantur homines excitantem ad veri investigandi cupiditatem, quia alterum fieri profecto potest ut omnium doctrinarum nulla, alterum certe non potest ut plus una vera sit.<sup>4</sup> Negat Cicero se inter sempiternos dubitatores numerari, quibus nihil verum esse videatur, sed contra inter eos se habendum censet, qui omnibus veris falsa quædam adiuncta esse dicant, tanta similitudine ut in iis nulla insit certa iudicandi et adsentiendi nota. Quæ nota certi etsi homini deest, multa tamen sunt probabilia quibus sapientis vita regatur.<sup>5</sup> Huic sapienti modo probabilitatis ratiocinanti nullis est opus neque dis neque deabus ut beata vita in animi securitate fruatur. Ille enim cum sentiat natura effectum esse mundum, nihil opus fuisse fabrica neque divina sollertia docet, quod fieri possit ut innumerabiles natura mundos effectura sit efficiat effecerit.<sup>6</sup> Cicero argumentum esse deos nullos esse qui negaverint recusat, cum Protagoras sophistes Græcus vel maximus in principio libri sic posuerit de divis nihil dici posse sive sunt sive non sunt.<sup>7</sup>

Cicero postremo quomodo religio rei publicæ constituendæ atque servandæ iuncta sit dilucide investigare numquam oblitus est. Qua de causa miratur quis tam cæcus in contemplandis rebus umquam fuerit ut non videret species istas hominum conlatas in deos aut consilio quodam sapientium, quo facilius animos imperitorum ad deorum cultum a vitæ pravitate converterent, aut superstitione, ut essent simulacra quæ venerantes deos ipsos se adire crederent.<sup>8</sup>

Marcus Tullius maxime iis adsentiri videtur qui dixerunt totam de dis immortalibus opinionem fictam esse ab hominibus sapientibus rei publicæ causa, ut quos ratio non posset eos ad officium religio duceret.<sup>9</sup> Quæ cum ita se habeant Ciceroni in fine primi libri placet deo Epicuri, qui talis est ut nulla gratia nulla hominum caritate teneatur, valedicere.<sup>10</sup>

Possum persequi permulta argumenta quibus stoici deos esse probari posse contendunt, quorum tamen præcipua tantum paucis complectar. Cum Epicurus nullo modo deos homines curare mundumque natura

effectum esse censuisset, tum stoici multis e signis patere mundum a dis regi confirmaverunt. In initio libri secundi Balbus ita locutus est. Quid enim potest esse tam apertum tamque perspicuum, cum cælum suspeximus cælestiaque contemplati sumus, quam esse aliud quod numen præstantissimæ mentis quo hæc regantur?<sup>11</sup>

Stoicorum enim sententia omnibus innatum est et in animo quasi insculptum esse deos. Quales sint varium est, esse nemo negat.<sup>12</sup> Cælestium ergo admirabilem ordinem incredibilemque constantiam, ex qua conservatio et salus omnium omnis oritur, qui vacare mente putat is ipse mentis expertus habendus est.<sup>13</sup> Sic undique omni ratione concluditur mente consilioque divino omnia in hoc mundo ad salutem omnium conservationemque admirabiliter administrari.<sup>14</sup>

## B. EXPLANATIONES VARLÆ

Id cernere nunc conemur quod Ciceronis interpretationibus commune sit cum doctrinis philosophorum antiquitatis ac posteriorum sæculorum usque ad hæc tempora. Iam Xenophanes, qui quinto sæculo ante Christum natum vixerat, miratus est quod homines deos sui similes fingebant. Persuasissimum habebat animalia, si deos sibi figurare voluissent, sine ullo dubio simulacra deorum animalis specie et figura formata fuisse. Quod cum Ciceroni bene notum fuerit, facile intellegitur cur quæsierit qua de causa homines species istas suas in deos contulissent.

Protagoras, cum hominem mensuram rerum professus esset, quod percipienti magis fideret quam rei perspectæ ipsi, quippe quæ incomprehensibilis semper maneret, adensionem cohibuit ab utraque doctrina sive deos esse confirmavit sive negavit. Philosophi antiqui percipientium visa ipsis rebus perspectis opponere solebant, unde bipartitio orta est duorum philosophiæ generum, quorum alterum empiricum dicitur quia experientia sensuque nititur, alterum rationale quia ex solo rationis usu pendet. Qui soli rationi fidem facerent sicut Parmenides et Plato sensibus diffidebant negabantque iis adiuvantibus ullam veritatis vel rerum ipsarum certissimam scientiam exoriri, sed tantum falsam speciem earum fide indignam præberi adfirmabant. Quam vero certissimam scientiam ipsarum rerum, quales re vera essent, tantum ratione utentibus patefactam esse contendebant.

Protagoras contra de rerum ipsarum natura nihil certi dici posse ratus, quod sensus nullum haberent ad

res ipsas certum aditum, experientia sola tamen nitetur in consilio capiendo cur alteri rerum doctrinæ potius quam alteri adsentireris. Nulla ergo hominibus videtur esse via extra experientiam ipsam statuendi utrum quæ eis visa sunt rebus ipsis similia sint necne. Carneades tamen, summa difficultate veri a falso dignoscendi non obstante, etsi agnoverit nihil umquam percipienti visum omnino certum esse, cum natura effectum esse mundum existimaverit, saltem aliud alio probabilius esse adfirmat.

Primum oportet discrimen faciamus sensuum ordinariorum atque extraordinariorum. Etsi in ipso somnio exempli gratia visa verissima videntur, simul ut expectati sumus visa illa recusamus, quod non eadem sit vis neque integritas dormientium et vigilantium nec mente nec sensu. Vinolenti porro, quamquam in ipsa ebrietate visis quibusdam imbecillius adsensi sunt, vino epoto atque ad sobrietatem reducti illa visa quam falsa fuerint intellegunt.

Carneades tria esse genera veri similitudinis dicit. Primum est visum quod credibile appellatur (*πιθανή φαντασία*) quia evidens et a re ipsa non differens videtur. Deinde est visum quod credibile consentaneumque appellatur (*πιθανή και ἀπερίσπαστος φαντασία*) quia cum aliis visis convenit ut tota experientia ita certior fiat. Nam enuntiatum quo pluribus visis credibilibus in unum convenientibus confirmatur, eo certius fit. Postremo est visum, quod credibile consentaneum repetitumque appellatur (*πιθανή και ἀπερίσπαστος και διεξωδευμένη φαντασία*) quia iterum iterumque repetitum est, ut omnibus aliis certius sit.

Thomas Aquinas tertio decimo sæculo ductus naturalis lumine rationis Deum esse quinque viis probari posse adfirmavit, quarum secunda est ex ratione causæ efficientis.<sup>15</sup> Thomæ fieri non posse videtur ut in causis efficientibus procedatur in infinitum. Remota autem causa, removetur effectus. Sed si procedatur in infinitum in causis efficientibus non erit prima causa efficiens. Ergo statuit necesse esse ponere aliquam causam efficientem primam, quam omnes Deum nominant.

Ut Cicero nulla divina sollertia opus fuisse ad mundum creandum dixerat, ita quarto decimo sæculo Wilhelmus Ockham entia non esse multiplicanda præter necessitatem professus est. Quæ doctrina ad res ipsas earumque originem explanandam, unde sint deductæ, causas efficientes rerum quam maxime circumscribendas esse docet.

Nostro etiam tempore B. Russell philosophus celeberrimus aliquid simile docet, cum mundum natura effectum esse dixerit addiditque, si nihil sine causa effici potest, idem pro deo valere. Si quid sine prima causa efficitur idem mutatis mutandis cum de deo tum de mundo simili ratione asseverari potest, ut deo non opus sit ad originem mundi deducendam.<sup>16</sup> Doctrinam autem primæ causæ ut derideat, Russell mundum ab ipso diabolo eo tempore creatum esse, cum deus non attente res agendas curabat, suspicatur. Si quidem ita res se habuissent, tæterrima quæque hac in lacrimarum valle acta multo facilius sunt explicanda. Philosophus anglicus se rationem iustitiæ divinæ non intellegere confitetur, si illam necessariam esse duxeris ad iustitiam humanam deficientem corrigendam, quod scelerati, qui iudicem humanum fefellerint, pœnas iustas divinas certo effugere non queant. Quæ ratio ei eadem videtur ac si quis, cistula pomorum inspecta, cum superiorem partem putridam esse animadverterit, inferiorem necessario optimam fore ad res æquiparandas iustitiamque ita servandam concludit.

Ut Cicero religionem a sapientibus quibusdam rei publicæ constituendæ atque servandæ causa fictam esse scripsit, ita undevicesimo sæculo in libro de natura christianismi scripto, L. Feuerbach ex opinionibus de dis immortalibus multo plus de hominibus animisque eorum quam de dis ipsis colligi posse censet. Quam ob rem K. Marx religionem opium populi esse ducit, cum plebs ut sua contenta sit fortuna admoneatur, quod salus suprema in cælo iis tandem tribuatur qui officia erga deos rite impleverint.

### C. ARGUMENTA ACADEMICORUM

Cottæ tamen argumenta stoicorum rationis expertia videntur. Non id enim quæritur, sintne aliqui qui more stoicorum deos esse putent; di utrum sint necne quæritur.<sup>17</sup> Cottæ vero sententia non omnia, quæ cursus certos et constantes habent, ea deo potius tribuenda sunt quam naturæ. Nullam vero esse causam dicit cur omnes motus omniaque quæ certis temporibus ordinem suum conservant divina dicamus. Quid? Æstus maritimi eorumque certis temporibus vel accessus vel recessus sine deo fieri non possunt? Omnium talium rerum ratio reddenda est.<sup>18</sup> Cottæ placet oratio de convenientia consensuque naturæ, quæ cohærere et permanere dicitur suis ipsius viribus non deorum.<sup>19</sup>

Cotta, cum quanta esset deorum multitudo animadverterit, facere non potest quin philosophos istos derideat, quod præter Romulum complures quasi novos et

adscripticios cives in cælum receperint. Cum ea consideraverit stultissima quæ dicuntur a Stoicis doctis, non iam vero volgi atque imperitorum inscitiam despiciere potest.<sup>20</sup> Deos deasque libenter ludibrio habet cum eos deridet qui rogaverint num Castor et Pollux dei essent habendi mortalibus nati matribus. Cotta tandem iam se oblectat iure rebus divinis miscendo, cum ludi causa quid iuri civili et iuri naturæ commune sit quærere non dubitat. Ut enim iure civili qui est matre libera liber est, item iure naturæ qui dea matre est deus sit necesse est.<sup>21</sup> Quod si di sunt illi quos colimus et accipimus cur non eodem in genere barbarorum deos numeremus? Boves igitur et equos, canes feles multas præterea beluas in deorum numerum reponere possumus.<sup>22</sup> Quæ cum ita sint nullum Cottæ est dubium quæ sit conclusio recta. Ergo, inquit, hoc aut in immensum serpet, aut nihil horum recipiemus; nec illa infinita ratio superstitionis probabitur; nihil ergo horum probandum est.<sup>23</sup> In fine Cotta facere non potest quin concludat eos qui di appellantur rerum naturas esse non figuras deorum.<sup>24</sup>

Nunc videamus primum deorumne providentia mundus regatur, deinde consulantne di rebus humanis. Cottæ sententia si mens voluntasque divina idcirco consuluit hominibus quod iis est largita rationem, iis solis consuluit quos bona ratione donavit, quos videmus, si modo ulli sunt, esse perpaucos. Non placet autem paucis a dis immortalibus esse consultum; sequitur ergo ut nemini consultum sit.<sup>25</sup> Sed a deo tantum rationem habemus, si modo habemus, bonam autem rationem aut non bonam a nobis.<sup>26</sup> Si enim rationem hominibus di dederunt, malitiam dederunt; est enim malitia versuta et fallax ratio nocendi. Utinam igitur sic istam calliditatem hominibus di ne dedissent, qua perpauca bene utuntur, qui tamen ipsi sæpe a male utentibus opprimuntur, innumerabiles autem improbe utuntur, ut donum hoc divinum rationis et consilii ad fraudem hominibus non ad bonitatem impertitum esse videatur.<sup>27</sup>

Si quis hæc omnia culpæ vitiisque hominum esse tribuenda dixerit, respondendum est ita res non futuras fuisse, si vero di hominibus rationem dedissent quæ vitia culpamque excluderet. Cuius culpæ vitiorumque Cotta multa adfert exempla historiæ Romanorum, quibus tot tantaque esse hominum nefaria scelera atque maiorem malam fortunam demonstrat quam ut mundus a deo omnipotenti atque benevolento regi dici possit. Quam ob rem Cotta ita locutus est: dies deficiat, si velim enumerare quibus bonis male

evenerit, nec minus si commemorem quibus improbis optime.<sup>28</sup>

Quæ cum ita sint timendum est ne scelerati, qui hoc in mundo nullas dederint pœnas at beate vixerint, ne post mortem quidem die iræ ante thronum iudicis divini omnipotentis non cogantur, quia quidquid latet semper inultum remanebit. Nulla enim est ratio suspicandi, iustitia humana deficiente, quod recte factis sæpe nulla sunt præmia nec supplicia peccatis, omnia divina iustitia mutatum iri, quod ne in cælo quidem ullum est discriminem bonorum et malorum. Nihil vero est quo hæc divina iustitia nitatur, nisi vero fidem facis vanæ hominis et inani spei amplificandæ fortunæ sub specie æternitatis, quia re vera suam quisque sibi facit fortunam, non di. Improborum igitur prosperitates secundæque res redarguunt, ut Diogenes dicebat, vim omnem deorum ac potestatem.<sup>29</sup>

#### D. CETERÆ EXPLANATIONES POSTERIORES

Augustinus pater ecclesiæ per totam vitam benevolentiam dei hominis libertati æquiparare conatus est, ut unde malum ortum esset explicaret. Eius autem sententia, deus, licet omnipotens sit atque benevolus, facere non potest quin libertatis hominis quoque rationem habeat. Cum in modum Terentii nil humani a se alienum putet, sæpe fieri credit ut homines mala bonis anteponan. Quod cum ita sit malum non a deo benevolo pendet sed ex mala hominum voluntate procedit. Memoria autem teneamus responsum Cottæ, qui deo licuisse censuerit hominibus rationem dare quæ vitia culpamque excluderet, ne talis libertas ulli noceret.

Si vero deus omnes creaturas salvare voluerit at re vera non queat, sin aliter non omnes salvabuntur, quod nonnulli ad æternam damnationem creati sunt, recte colligitur aut deum non esse omnipotentem aut non prorsus benevolum.

Præter mala ab hominibus aliis hominibus illata sicut bella atque varia iniuriarum genera, multæ autem miserix atque calamitates sicut morbi graves, terræ motus, procellæ, invitis hominibus, genus humanum opprimere solent.

Quam ob rem Voltaire sensit multa deo esse ignoscenda, si mundi malitiam multos in modos passus sis. Anno MDCCLVI Voltaire carmen pepigit de terræ motu a Lusitania accepto. Philosophus acerba voce querebatur quod nefasti et scelesti æque ac pii et probi castigati sunt, quærens cur destructæ essent ecclesiæ, lupanaria servata.

Qua de causa in lexico philosophico quæstionem ita paucis complectitur : si deus quamvis benevolus nos a malo liberare nequit non habetur omnipotens, sin aliter potest at facere non vult non benevolus dicitur, sin autem neque libenter facit neque capax est, nec benevolus nec omnipotens ducendus, at si tandem vult atque rei ipsius est capax, maxime mirandum malum unde oriatur.

Fieri enim non potest neque probandum est ut calamitates quæ singulis maximo sunt detrimento, eadem funditus penitusque mutantur eo tantum, quod velut ex divino conspectu universitatem rerum omnium prospicientis in speciem meliorem vertantur, concordiam quasi proferentem totius mundi.

Sint hæ calamitates meliores ex conspectu altissimo doctorum universitatem rerum animo contemplantium earumque mirabilem concordiam discordem, at singulis omnino non sunt solacio sed desperationi.

Hanc sententiam ut lepidissime exemplis iucundissimis illustraret Voltaire narratiunculam « Candidum » conscripsit, qua doctrinam philosophi Leibniz derideret profitentis voce doctoris Pangloss omnia optime esse ordinata in mundo quo melior nullus neque cogitari neque effici potest.

J.S. Mill philosophus sicut Voltaire sentit quod sibi evenerit, malumne aut bonum esset, ex suo ipsius iudicio æstimandum esse, potius quam ex conspectu cuiusdam omnipotentis dei, cuius ratio res in utramque partem disserendi et diiudicandi hominibus omnino aliena est atque minime accipienda.

David Hume ille celeberrimus philosophus duodevicesimo sæculo in dialogis de naturali religione quæsit utrum mundus machinæ similis esset necne. Machina enim ab artifice alicuius finis causa concipitur atque exstruitur. Mundus autem vix machinæ similis videtur, præsertim si rationem habeas multarum calamitatum quæ haud ad consilia cuiusdam benevolentis artificis referendæ videntur, quod e conspectu hominis quidem omnino non salutem sed tantum perniciem secum ferunt.

I. Kant philosophus cum deum esse probari posse negaret, quod in libro critico de ipso humano ratiocinandi modo nullam homini esse facultatem species metaphysicas, quæ dicuntur, mente complectendi demonstraverat, tum autem in altero libro de ratione in rebus moralibus adhibenda deum esse eo necessarium videri adfirmavit quod, nisi re vera esset certa iustitia divina, qua recte iusteque agentibus præmia pœnæ improbis atque scelestis tribuerentur, nullus est



modus felicitatis hominibus honeste viventibus firmandæ.<sup>30</sup> Timeo tamen ne Kant deum felicitatis iustorum firmandæ causa necessarium esse dicens, vota pro donis re acceptis habeat. Etsi suum ipsius celeberrimum dictum, sapere aude, in cognitione rerum metaphysicarum recusanda mirifice adhibebat, in rebus moralibus tamen, cum tremendam iustitiæ divinæ maiestatem servandam esse censuisset, suis uti legibus et iudiciis, non dei, atque ita se in libertatem vindicare ausus non est. Cotta contra in tertio libro de natura deorum sæpius monet res ita non se habere, quia accidit perincommodum quod prohi et pii castigantur atque impii et improbi felicitate fruuntur.

C. Darwin tandem cum undevicesimo sæculo modum ratiocinandi per artificem consulto agentem ad originem generis humani explanandam recusavisset, tum causas rerum efficientes reperiendas esse censebat. Fieri posse ut explicaretur quo modo creaturæ superiores condicionibus temporum et locorum melius accommodatæ ex inferioribus stabilibus mutationibus ortæ essent demonstrabat. Etsi animantium genus omne unde originem duxisset hoc modo explicari non statim posse concessit, nexibus nonnullis deficientibus, tamen sibi doctrina, factis atque experimentis fulta, amplificanda videbatur, donec tandem cognitio gradatim satis cresceret ad hominis exordium explanandum.

#### E. DE SENTENTIIS COMPARATIS

Libro de deorum natura perlecto, dicendum est tantam esse Epicuri, Stoicorum Academicorumque varietatem argumentorum, ut decursu sæculorum plurima a posterioribus philosophis quodammodo repetita sint ac relata. Ut iam antiqui empiricam doctrinam cognitioni ratione sola innixæ opponerent, ita posterioribus sæculis quoque a priori ratiocinantes cum philosophis sensui atque experientiæ fidentibus comparantur. Cum academici antiqui naturam non comprehensibilem esse contendissent, ut visa neque vera neque falsa haberentur, quod nullus esset locus extra experientiam ipsam decernendi utrum rei ipsi similia essent necne, tum Kant sceptico modo quicquam certi de speciebus metaphysicis dici posse negavit. Sicut Carneadi aliud alio probabilius est atque ei enuntiatur eo certius videtur, quo magis ampliusque variis atque repetitis experientiis eisque convenientibus probatum est, ita C. Darwin doctrinam factis atque experimentis convenientibus consentaneisque amplificari atque augeri posse putat. Quemadmodum Stoici undique omni ratione concluderant mente consilioque divino omnia in hoc mundo

admirabiliter administrari, sic Thomas Aquinas ductus naturalis lumine rationis Deum esse probari posse adfirmavit.

K. Marx, cum religionem opium populi esse profitebatur, vix aliquid novi invenit, sicut patet ex eo quod Cicero iis adsentiebatur, qui dixerunt totam de dis immortalibus opinionem fictam esse ab hominibus sapientibus rei publicæ causa, ut quos ratio non posset eos ad officium religio duceret. L. Feuerbach certe non primus fuit qui ex opinionibus de dis immortalibus multo plus de hominibus animisque eorum quam de dis ipsis colligi posse censeret, cum multis ante sæculis Cicero putavisset species hominum conlatas in deos consilio quodam sapientium, quo facilius animos imperitorum ad deorum cultum a vitæ pravitate converterent.

Etsi sæpius fit ut sit antiquis philosophis cum posterioribus similitudo, tamen oportet quomodo alteri ab alteris differant non neglegamus. Antiquitus enim multi di colebantur atque generatim æque accipiebantur, ut eodem in genere etiam barbarorum di numerarentur. Sicut patet ex exemplo Epicuri quippe qui omnino nullam habere rerum humanarum procuratorem deos confirmaverit, doctrina moralis beate et honeste vivendi religioni non arcte iuncta erat. Cum dei homines neque possint iuvare nec velint, nil mirandum est quod neque mores neque doctrina moralis naturaliter ex dis pendere videbatur. Quisnam est qui nesciat mores antiquorum deorum dearumque ancipites atque peiores fuisse quam ut hominibus exempla illustra præberent honeste vivendi digna quæ imitarentur?

Quod cum antiquis bene notum esset, Plato dialogum conscripsit, qui Euthyphro inscribitur, in quo disputatur quæ sit pietas. Quam ut bene intellegamus scire oportet doctrina moralis quomodo religioni iuncta sit. Si est deus, quærendum videtur sintne talia divina præcepta quibus homines obtemperare debeant. Alterum enim fieri profecto potest ut re vera sint præcepta per se recta iustaque, quæ deus ipse facere non potest quin agnoscat, alterum tamen quoque potest ut recta iustaque habeantur eo tantum quod a deo ipso sunt præcepta. Ergo concluditur bonum ipsum, dignum cui pietatis causa pareas, non a dis pendere, ut ii haud supremi ac summi habendi sint, aut contra voluntatem eorum liberam et solutam esse, ut di potius libidine ac licentia quam legibus iustis vel præceptis moralibus uti videantur.

Post autem Constantinum imperatorum romanum creatum di antiqui non iam generatim accipiebantur et deus christianus benevolus atque omnipotens abhinc,

ecclesia auxilia opesque adferente, mundum omnem totumque in suam potestatem redegit. Quod cum ita esset, religio et doctrina moralis artissime per multa sæcula coniungebantur, ut vita moralis deo non fulta vix cogitari posset, licet Plato iam multo ante bonum ipsum sui iuris esse neque a dis pendere demonstravisset. Hunc in modum homines vera ratione orbatī paulatim suo ipsorum iudicio in rebus moralibus uti desuefacti sunt, quod tandem persuasum habebant sibi divina iustitia, quamvis a se aliena, opus esse ad æternam salvationem firmandam.

Etsi Kant deum esse non probari posse adfirmabat, sapere non satis audebat ut profiteretur nullam homini fore salutem nisi sibi libertatem vindicanti suis ipsius iudiciis utendi in salute consequenda. Hac in re academici antiqui multo minus ancipites se gerebant. Academicus, cum de rebus, quæ cognosci non possint, diudicare non potuerit utra utri anteferenda videretur, etiam in re morali adsensionem cohibebat quæ Græce ἐποχή appellatur, ut tandem tranquillitate quadam animi frueretur, quam Græci ἀταραξίαν appellant.

B. Russell postremo multam operam dedit ut doctrina moralis a cælo reduceretur atque hominibus restitueretur, qui quæ bona qua ratione sint eligenda ipsi decernant suis ipsorum tantum iudiciis utentes. Quod ut efficias sufficit ut rationalis instituatū disputatio in utramque partem de finibus eligendis, argumentaque proferantur cur aliud alio anteponendum videatur. Hoc autem fieri non potest nisi rationem habeas omnium quæ, natura duce, effecta sunt, efficiuntur atque efficientur. Russell monet homines vera felicitate fructuros non esse nisi desinant vota pro re comperta habere. Accidit vero perincommode quod felicitas non pro cuiusque meritis distribuitur, licet iustitia ars suum cuique tribuendi habeatur. Sed hac in re nihil novi est sub sole quia Cicero ipse iam docebat improborum prosperitates secundasque res redarguere vim omnem deorum ac potestatem.<sup>31</sup> Quod cum ita sit monitum addidit hoc : sic enim res se habet ut ad prosperam adversamve fortunam qualis sis aut quem ad modum vixeris nihil intersit.<sup>32</sup> ❧

1. Cicero : De natura deorum, I, 1.
2. Id. : op. cit. I, 2.
3. Id. : op. cit. I, 3.
4. Id. : op. cit. I, 5.
5. Id. : op. cit. I, 12.
6. Id. : op. cit. I, 53.
7. Id. : op. cit. I, 63.
8. Id. : op. cit. I, 77.
9. Id. : op. cit. I, 118.
10. Id. : op. cit. I, 124.
11. Id. : op. cit. II, 4.
12. Id. : op. cit. II, 12 - 13.
13. Id. : op. cit. II, 56.
14. Id. : op. cit. II, 132.
15. Thomas Aquinas : Summa theologia, I, Quæstio II de deo : an deus sit, Articulus III : Utrum deus sit.
16. B. Russell : Why I am not a christian, London, 1957.
17. Cicero : op. cit. III, 17.
18. Id. : op. cit. III, 24.
19. Id. : op. cit. III, 28.
20. Id. : op. cit. III, 39.
21. Id. : op. cit. III, 45.
22. Id. : op. cit. III, 47.
23. Id. : op. cit. III, 52.
24. Id. : op. cit. III, 63.
25. Id. : op. cit. III, 70.
26. Id. : op. cit. III, 71.
27. Id. : op. cit. III, 75.
28. Id. : op. cit. III, 81.
29. Id. : op. cit. III, 88.
30. I. Kant : Kritik der reinen Vernunft, 1781 ; Kritik der praktischen Vernunft, 1788.
31. Cicero : op. cit. III, 88.
32. Id. : op. cit. III, 89.

LEONIS BAPTISTÆ ALBERTI *MOMVS*

– quem legendum proponit Francisca Deraedt –

**H**oc fateamur oportet : in litteris Latinis cuiusvis ævi satis raro contingit ut scriptor lectori risum aut saltem delectationem promittat simul cum doctrina, raro fit ut in procœmiis talia legamus : « Nos elaboravimus ut qui nos legant rideant, aliaque ex parte sentiant se versari in rerum pervestigatione atque explanatione utili et minime aspèranda. »

Tali professione talique titulo – Momus enim, deus irrisionis, quid hic sibi vult ? – studiosus lector facere non potest quin alliciatur ad paginas amplius evolendas. Et ecce scriptor ab eo iam primam reportavit victoriam : « Ergo lege », inquit enim, « vel maxime ut ipsum te recrees, proxime ut faveas et studiis et lucubrationibus nostris volens ac libens. Sis felix. »

Leo Baptista Alberti (1404 - 1472) Genuæ natus est, nothus cuiusdam argentarii. Patavii Latine Græceque est eruditus, postea Bononiæ incubuit in ius canonicum. Ibi, cum in studiorum universitate adhuc versaretur, primum opus Latinum composuit, comœdiam *Philodoxeos* inscriptam (a. 1424). Paucis annis post prodiit tractatus *De commodis litterarum atque incommodis* (a. 1428 - 1429). Eodem fere tempore etiam divulgavit opera vernacula. Circa annum 1430 primos conscripsit sermones convivales, quibus titulum dedit *Intercenales*, breves textus satiricos philosophicosve quos exinde continuo auxit et exornavit.

Mox ordinatus, Albertus viam ecclesiasticam ingreditur. Tamquam secretarius pontificius interest concilio Ferrariensi et Florentino a papa Eugenio IV convocato. Iisdem temporibus magis magisque allicitur ad architecturæ opticæque studia.

Florentiæ, præter officia ecclesiastica publicaque, Albertus consuetudinem iungit cum eximiis artificibus : Brunelleschi, Ghiberti, Donatello, Masaccio. Inde opus *De pictura* anno 1435 Latine exaratum annoque insequenti ab ipso auctore in Italicum translatum. Ab eo tempore Albertus multa scribit, quæ longum est hic enumerare. Quod ad genus satiricum pertinet, præter *Momum* commemoranda est *Musca*, e Luciano assumpta, et *Canis*, ironicum encomium eius canis. Notissima autem opera sunt *Descriptio Urbis Romæ*, *Navis*, *De re ædificatoria*, *Ludi rerum mathematicarum*. At non solum in artis præceptis manifestatur eius scientia : nam varia palatia et ecclesiæ, eximia exempla classicismi, qualis quinto decimo sæculo viguit, ab eo sunt delineata : inter alia memoratu digna sunt, Arimini Templum Malatestianum, quod dicitur, id est ecclesia Sancti Francisci, exstructa mandante Sigismundo Malatesta, Florentiæ palatium Rucellai, sic nominatum a principe Iohanne Rucellai, fronsque

Sanctæ Mariæ Novellæ, Mantuæ duo fastigia artis Albertianæ, ecclesia Sancti Sebastiani et pulcherrima basilica Sancti Andreæ.

Leo Baptista Alberti *Momum*<sup>1</sup> conscripsit inter annum 1443 et 1450. Diu solum divulgata sunt exemplaria manuscripta, ac prima impressio anno demum 1520 est facta. Sub finem sexti decimi sæculi prodierunt translationes Italica et Hispanica, sæculo duodevicesimo Theodisca, Francogallica vicesimo tantum sæculo. Pleræque editiones sub titulo hanc habent inscriptionem : « De Principe », quæ non videtur esse ab ipso auctore apposita, quamquam in procœmio tale re vera fore argumentum prænuntiat :

« Hos igitur poetas imitati, cum de principe, qui veluti mens et animus universum reipublicæ corpus moderatur, scribere adoriremur, deos suscepimus, quibus et cupidos et iracundos et voluptuosos, indoctos, leves suspiciososque, contra item graves, maturos, constantes, agentes, sollertes, studiosos ac frugi notarem, quasi per ironiam, quales futuri sint in vitæ cursu et rerum successu, dum aut hanc aut alteram vitam inierint, quid laudis aut vituperii, quid gloriæ aut ignominia, quid firmitatis in republica aut eversionis fortunæ, dignitatis maiestatisque subsequatur ; ut his quattuor libris, ni me laboris mei amor decipit, cum nonnulla comperias quæ ad optimum principem formandum spectent, tum etiam non paucissima sese offerant quæ ad dinoscendos mores pertinent eorum qui principem sectantur : ni forte illud desit, quod assentatorem, quo principum aulæ refertæ sunt, prætermiserim consulto. Nam illum quidem veteres poetæ, præsertim comici, abunde explicarunt. »

Prima tamen fabulæ persona neque est Iuppiter princeps ipsissimus neque alius magnus deus, Apollo, Minerva, Venus, sed Momus sive Μῶμος, imago irrisionis et reprehensionis, parvulus deus proprio cultu carens. De quo haud multa scimus. Hesiodus<sup>2</sup> dicit eum esse filium Noctis. Præterea Momus hic illic vix apparet in litteris antiquis, nisi apud Lucianum, quem auctorem Albertus libenter sequitur tam in scænis, in quibus Momus apparet, quam in arguenda hominum natura. Æsopus videtur etiam inter operis fontes numerandus esse, necnon Apuleius, ut lector procul dubio iam suspicatus est, cum *Metamorphoses* simili modo, ut in *Momi* initio legitur, promittant delectationes : « Lector intende : lætaberis ».<sup>3</sup>

*Momus* numeratur inter præclara opera comica, quæ tempore litterarum renatarum edita sunt. Ad nullum genus peculiare pertinet, sed multa miscens, mytholo-

giam, fabulam, philosophiam, dialecticam necnon scurrilitatem, est re vera sui generis. Eius commentatores decursu temporum varias interpretationes proposuerunt : Momus aliis visus est papatum allegorico modo vituperare, aliis principes obtrectare, aliis vitam narrare ipsius auctoris, aliis architecticam papæ insaniam irridere. Patet enim librum esse ab architecto scriptum : nonne Iuppiter ibi apparet ut summus architectus ? Nonne dei, ut Iovi placeant, res fabricant in mundo lusorio, id est in Terra, postea ponendas ? Nonne etiam magno studio ornant palatia sua ? Aliis denique Iuppiter visus est papæ Nicolai V gerere personam, Momus autem alicuius ex auctoris æqualibus, Bartholomæi Fazio aut Francisci Filelfo. Nos quidem nolimus incertam clavem quærere, quam auctor non dedit, atque Momi lectione una candide delectemur.

Sit ergo deorum vita tamquam speculum nostri. Cum Albertus Iovem ostendit ægre conantem familiam suam Olympiam pro viribus gubernare, cogitemus de nostris difficultatibus, de nostra domo, de nostra civitate administranda. Videbimus res, sive humanas sive divinas, esse dubias, arbitrarias, cupiditati vanitatisque magis obnoxias, quam fortasse cogitavimus.

« Mirabar si quando apud nos humiles mortales in vita degenda pugnantem aliquam et inconstantem rationum iudiciorumque vigere opinionem intelligebam. Sed cum superos ipsos maximos, quibus omnis sapientiæ laus attributa est, cœpi animo accuratius repetere, destiti hominum ineptias admirari. Nam apud eos repperi varia et prope incredibilia esse ingenia et mores. Alios enim sese habere graves et severos, alios contra exstare leves et ridiculos, aliosque deinceps ita esse a ceteris dissimiles, ut vix esse ex cælicolarum numero possis credere.

« Quî tamen cum ita sint, cum longe moribus inter se dissideant, neminem tamen seu apud homines seu apud superos reperias ita singulari et perversa imbutum natura, cui non alium quempiam multa ex parte comperias similem præter unum deorum, cui nomen Momo. Hunc enim ferunt ingenio esse præditum præpostero et mirum in modum contumaci, naturaque esse observatorem infestum, acrem, molestum, et didicisse quosque etiam familiares lacessere atque irritare dictisque factisque, et consuasse omne studium consumere ut ab se discedat nemo fronte non tristi et animo non penitus pleno indignatione. Denique omnium unus est Momus qui cum singulos odisse, tum et nullis non esse odio mirum in modum gaudeat.

« Hunc memoriæ proditum est ob eius immodestam

linguæ procacitatem ab veteri deorum superum cœtu et consilio omnium conspiratione et consensu deiectum exclusumque fuisse, sed inaudita pravitate ingenii et pessimis artibus tantum valuisse, ut potuerit superos omnes deos omneque cælum et universam denique orbis machinam in ultimum discrimen adducere. Hanc nos historiam, quod ad vitam cum ratione degendam faciat, litteris mandare instituimus. »<sup>4</sup>

Iam explicandum est cur et quomodo Momus in exsilium aliquando sit expulsus. Quod ut intellegamus, repetenda sunt omnia usque a mundi creatione, ad quam perficiendam singuli dei operam contulerunt – excepto uno :

« Cum Iuppiter optimus maximus suum hoc mirificum opus, mundum, cœdificasset, et eum quidem esse quam ornatissimum omni ex parte cuperet, diis edixerat ut sua pro virili quisque in eam ipsam rem aliquid elegans dignumque conferret. Iovis dicto certatim parvare superi. Idcirco alii alias res, alii hominem, alii bovem, alii domum, singulique præter Momum aliquid muneris Iovi non ingratum in medium produxere. Solus Momus, innata contumacia insolescens, nihil ab se fore editum gloriabatur. »

Dei eum hortantur ut Iovi satisfaciatur, postulant, monent, suadent, usque dum aliquid iucundi Momo veniat in mentem :

« ‘Vincite’ inquit ‘molesti : abunde quidem vobis satisfaciam’. Inde igitur rem se dignam excogitavit. Universum enim terrarum orbem cimice, tineâ, fuconibus,<sup>5</sup> crabronibus, scaraveonibus<sup>6</sup> et eiusmodi obscenis et sui similibus bestiolis refertissimum reddidit. »

At eheu, effectus est frustra ! Dei, a quibus Momus hoc facinore nihil exspectavit nisi lamentationes et execrationes – quibus potissimum delectari solet, trahit enim sua quemque voluptas – de re nullo modo indignabundi satis habent ridere et iocari. Ita deceptus, Momus omnia collegarum inventa vituperat : Palladem stulte bovem creavisse, qui semper ad terram spectaret neque quicquam præ se videret ; melius futurum fuisse, si saltem unum oculum supra cornua posuisset. Domum a Minerva<sup>7</sup> æque stolidè factam esse, quippe quæ rotis carens moveri non posset. Hominem a Prometheo effectum videri quidem novum dei genus, prave tamen curatum esse ut eius mens in præcordiis conderetur, cum opportunius fuisset eam palam ostendere, « suprema ad supercilia ». Et ita porro. Unam tan-

tum laudare dignatur, Fraudem dico, quæ mulieribus dederit « delicias artesque fingendi risumque lacrimasque » ; sibi tamen temperare non potest, quin perfidiose addat eam sic machinam invenisse, qua Iunonem extruderet mulierosumque Iovem facile pelliceret.

Sciamus oportet Momum Fraudem perditæ amare ; potuit, certe, delicias suas prudentius eligere ; at in rebus amoris quis decernit re vera ? Momus insuper, cui nulla non deest virtus, nescit amare, seque rudem præbet amasium, qui amatæ strategemata tam contumeliose tamque inepte notet ; credite mihi, hic non est optimus modus feminas alliciendi ; at ille non solum amore perditus est, sed etiam zelotypia. Fraus autem, puella vere nominis sui, simulata benevolentia suavem sibi, ut mox videbimus, præparat contumeliæ ultionem...

Dum tales aguntur tricæ, Iovem agunt maiores curæ :

« Nam ægre ferentibus diis novum alterum deorum genus, homines, procreatum esse, et eos quidem aura, fontibus, domo, floribus, vino, bove et huiusmodi deliciis multo ferme quam superos esse beatiores, Iuppiter optimus maximus, quod cælicolarum benivolentia suum sibi regnum vellet communire, quæ suæ fuere partes, huic se rei probe provisurum pollicitus est, et daturum se operam asseruit ut superum nullus posthac sit, quin se deum malit esse quam hominem. Ergo in hominum animos curas metumque iniecit, morbosque et mortem atque dolorem adiecit. Quibus ærumnis cum iam adeo essent homines longe deteriori in sorte quam bruta animantia constituti, non modo deorum erga se invidiam extinxere, verum et sui misericordiam excitavere.

« Accessit ut gratificandi studio Iuppiter cælum ornare lautissime aggressus sit : cæli enim domicilia constituit eaque multis variisque signis, auro et gemmis, omnique denique copia deliciarum pulcherrime distinxit. Demum hæc diis Phœbo, Marti, Saturno patri, Mercurio, Veneri, Dianæque ultro elargitus est. Et quo lætam dehinc et omnibus cælicolis gratam acceptissimamque suam tyrannidem curis vacuus ageret, munia, magistratus imperiaque in quos visum est impertitus distribuit. Et imprimis Fato deo, ad res curandas agendasque omnium sollertissimo, semper agenti, numquam otioso, nihil per ignaviam, per inertiam prætereunti, nihil precibus aut præmiis a vetere more, a legitimisque institutis deflectenti, volvendum orbium curam summamque ignium potestatem legavit, contione habita, qua in contione illud iterum atque iterum affirmavit, sese otii esse cupidissimum, ac rerum quidem regni aliud nihil sibi esse relictum



*Iuppiter, in : Commelin, Mythologie grecque et romaine, ed. P. Maréchaux, Paris, Dunod, 1995, p. 31.*

velle, quam ut una cum reliquis diis integra voluptate ex animi libidine frueretur. »

« Summa ignium potestas », de qua hic agitur, in cælo est ministerium maximi momenti. Est enim illic focus quidam sacer, æternus et supra modum admirabilis. Primo ignis ardet sine ullo alimento. Tum omnia quæ tangit reddit immortalia. Dein flammula e foco sumpta ad summam singulorum deorum frontem lucet ; hæc efficit ut se in quamlibet formam vertere valeant, in aureum imbrem, si lubet, aut in cycnum, aut in quodvis animal. Nemo nescit Iovem ipsissimum hac facultate libenter usum atque etiam abusum esse. Postquam Prometheus portionem illius ignis e foco

surrripuit, magistratus ignium creatus est, ne huiusmodi furta iterum committerentur.

Sed hactenus de igne, ut ait Albertus, « ad rem redeo ». Tantis donis Iuppiter deorum gratiam sibi facile conciliavit. Omnes ad eum confluxerunt gratias agentes. Solus Momus manet vultu tristi. Perfida Fraus tum intellegit eum esse in Iovem infensum, occasionemque statim videt ultionis, de qua iam locuti sumus, obtinendæ.

Erat ara, ad quam Momus casu stabat. Pone hanc aram Fraus, cuius insidiandi doctrina magnopere est admiranda, duas deas collocat, Verinam Temporis filiam et Proflum<sup>s</sup> Iovis amicam, eisque mandat ut ibi absconditæ omnia, quæ mox dicentur, attente auscultent.

« Compositis insidiis, dea vultu hilari ad amantem propius accedit. Salutant mutuo sese. Post id, cum paululum Fraus obticuisset, mox contracto supercilio : 'Et quidnam' inquit 'mi Mome ? Num et tu, ut videor videre, de Iovis in superos merito secus atque vulgus hoc imperitum sentis ? Ne vero eadem una mecum de hisce rebus statues ? Non ausim ea cuiquam profiteri quæ sentio, ni forte uni tibi, quem æque atque hosce oculos meos diligo. »

Momus, ut est amore cæcatus, in laqueum facile incidit : « Nondum », inquit, « satis apud me constat stultine ea sint principis opera magis an ambitiosi. » Atque Iovem tam malum deorum regem esse demonstrat, ut mirandum non sit, si quando fata toti orbi alium dent principem. Ansa est nimis pulchra : Fraus eam statim arripit. Quem fore novum principem ? Nonne Momum ipsum hoc munere allici posse ?

« 'Sed quidnam tum ? Nos vero quanti voles esse apud te, si forte dabitur ut imperes ?' 'Mihi tu' inquit Momus 'altera eris Iuno'.

« Hic Fraus cœpit collacrimari. 'Atqui nimirum' inquit 'cui præ libidine quæ velit liceant, huic nihil diutius cordi est. Aliam tibi reperies amatam, Mome ; tibi Fraus, quæ te misere amet, erit fastidio.' His et plerisque huiusmodi ultro citroque dictis, coegit Fraus iurare amantem, ipsa in ara, sese cum factus forte deorum fuerit rex Fraudem Iunonis loco habiturum. Post hæc ad dearum cœtum victrix rediens, Verinam et Proflum arbitras bene et docte subornat quibus verbis, quo gestu, qua hora ad Iovem quicquid ad aram ex insidiis audissent referant.

« Fiunt omnia ex sententia. (...) Irato Iove omnia atque omnia contremuere. Obstupuere superi. Cogitur frequens deorum senatus : iubentur Proflua dea, nym-

pharum alumna, et Verina, Temporis filia, testificari quæ a Momo dicta nuper ad aram subaudissent. Instituebat deum pater et hominum rex Iuppiter sollemni more diem reo dici, constitutisque iudicibus audiri causam, legitimoque iudicio litem percenseri.

« Sed totis ab subselliis una omnium eademque repente oborta vox publicum odium Momum maiestatis teneri acclamavit : 'Io,prehendendum sceleris obnoxium ! Io, et Promethei loco vincendum !' Tanta inimicorum conspiratione tantisque in se unum insurgentibus irarum procellis Momus animis prostratus et trepidans fuga sibi consulendum statuit. Eridanum cæli fluvium citato gradu fugiens petebat, quo inde sumpto navigio secundis aquis ad nostras hominum regiones applicaret. Sed, dum ab insequentium strepitu sibi cavisse properat, in voraginem multo hiatu præruptam, quæ quidem cæli puteus dicitur, incautus corruit. »

Nunc tandem scimus quibus condicionibus Momus sit a deorum societate exclusus, ut initio huius narrationis dictum est. Proxima occasione, bone lector, eum inveniemus in Etruriam fortuito deductum, ubi nova miraque facinora patrans, hominesque deosque semper vexans, nos quidem, qualescumque nocendi conatus faciet, per Leonis Baptistæ Alberti stilum non valebit non delectare. ❧

1. De Momo vide : Leon Battista Alberti, *Momus*, English translation by Sarah Knight, Latin text edited by Virginia Brown & Sarah Knight, Cambridge-London, Harvard University Press, The I Tatti Renaissance Library, 2003. Leon Battista Alberti, *Momus ou le prince. Fable politique*. Par C. Laurens et P. Laurens, Paris, Les Belles Lettres, 1993. Textus Latinus etiam in interreti (at non sine mendis) præbetur :

<http://www.readme.it/libri/Letteratura%20Italiana/Momus.shtml>

2. *Theogonia*, v. 214.

3. *Met.* I, 1.

4. *Momus*, I, 1-3 sqq.

5. Hoc vocabulum videtur assumptum esse e lingua Italica, ubi *fūco* significat fucum, i.e. marem apis.

6. I.e., manifesto, scarabæis.

7. Apud Leonem Baptistam Alberti Pallas Athena et Minerva sunt duæ deæ distinctæ.

8. Verina et Proflua sunt nomina commenticia. Temporis filia apud Gellium (XII, II, 7) dicitur esse Veritas : « Alius quidam veterum poetarum cuius nomen mihi nunc memoriæ non est, Veritatem Temporis filiam esse dixit. » Verina / Veritas : fieri potest ut Albertus alludat ad hanc rem. Quod ad Proflum pertinet, e nomine nobis fingere possumus eam esse satis loquacem.

## DE CELSO AVCTORE CHRISTIANIS INFESTO

- scripsit Gaius Licoppe -

Secundo sæculo,<sup>1</sup> non solum homines miserabiles et Sinculti fiunt Christiani, sed altior socialis ordo etiam contaminatur. Qualis fuerit opinio Romanorum illius temporis, vix scire possumus, cum Christiani post suam victoriam delendos curaverint omnes libros contradicentium. Scimus M. Cornelium Frontonem, Marci Aurelii præceptorem, librum contra Christianos conscripsisse, sed is perditus est.

Unus tamen liber cuiusdam Celsi indirecto mirum in modum servatus est. Olim, Alexandriæ, quidam dives Christianus librum fortuito invenit, Ἀληθὴς Λόγος (*Verbum verum*) inscriptum et septuaginta annis ante a Celso editum, quo redarguebantur Christianorum argumenta. Ille Alexandrinus librum ad amicum suum Origenem misit, ut eum refutaret. Itaque Origenes inter annum 246 et 249 opus « Contra Celsum » conscripsit, Celsi textum magnam partem, sed sua ratione, citans.

Celsus optime novit Iudæorum Christianorumque mores et scripta ; manifesto legit Veteris Testamenti translationem Græcam Septuaginta vocatam ; novit etiam Novum Testamentum. Præterea callet mythologiam Græcam et Romanam. Celsus est vir bonus et sincerus, qui valde timet ne Christiani Imperium Romanum evertant una cum tradito cultu civili.

Præfatio eius libri his fere verbis incohatur : « Est novum hominum genus, heri natum, patria traditisque moribus carens, omnibus institutis religiosis et civilibus infestum, iustitia exagitatam, universe infamia notatum, sed quod gloriatur populi execratione : isti vocantur Christiani. »

Celsi propositum est eos deterrere de suo modo agendi, quippe qui multum noceat imperii tranquillitati et prosperitati. In fine enim præfationis leguntur hæc : « Agnoscere tamen debeo inter Christianos inveniri homines honestis moribus, qui non omnino scientia careant atque ingeniose valeant allegoriis explicare suas portentosas narrationes. Ad eos præcipue hunc librum destino ; nam, si honesti, sinceri et docti sunt, audient vocem rationis et veritatis. »

In prima parte libri Celsiani, Iudæus quidam contra Christianos loquitur. Qui summatim dicit hæc.

De Iesu filiatione : « Est filiatio portentosa atque fabricata ; non natus est a virgine, sed a paupere femina rustica, quæ propter adulterium cum quodam milite Panthero vocato a marito, fabro tignario, expulsa est ; clanculum peperit. Iesus iter fecit in Ægyptum, ubi magiam didicit, qua postea populares suos delusit. Quis credere potest Deum feminam pauperem inseminasse ? »

De baptismo : « Cum Iesus in Iordano flumine a Iohanne baptizatus est, dicitur columba de cælo in eum descendisse et vox cælestis eum salutavisse ut Dei filium. Sed quis vidit hanc columbam ? Quis audivit hanc vocem ? Nemo ! »

De prophetiis : « Non unice spectant ad Iesum. »

De miraculis : « Iesus narratur multa prodigia fecisse, ægrotantes sanavisse, panes multiplicavisse, etc. Sed huiusmodi prodigia facere solent omnes circulatorum. »

De natura divina : « Fieri non potest ut Deus corpus humanum habeat. Neque Iesu ortus, neque eius res gestæ vitæque sunt Dei, sed potius hominis miserabilis, Deo odiosi. »

De passione : « Si Iesus sua voluntate Patri paruit et passionem subiit, cur gemuit et Patrem obsecravit ut calicem removeret ? Hæc sunt fabulæ, quæ ne verisimiles quidem reddere potuerunt complures mutationes textus Euangelii. »

De resurrectione : « Deficientibus testibus, eam pro vera habere non possumus. »

De Messia : « Iudæi re vera spem venturi Messia servant, sed increduli manent erga eum, quem proponunt Christiani. »

Celsus postea examinat Iudæorum et Christianorum apologeticam.

De secessione Christianorum a Iudæis : « Iudæis iam fuit mens schismatica, qui se ab Ægyptiis olim separaverint. Similiter se gesserunt Christiani, qui a Iudæis secesserunt. Idem iterum inter se faciunt ; nam eorum sectæ tam diversæ sunt, ut nomen solum servent commune. »

De Regno Dei, peccatoribus et mente debilibus patente : « Estne vitium, peccatis vacuum esse ? Deus accipit iniustum, qui pœnitentiam agit ; cur non accipiet iustum, qui oculos ad eum tollens, suæ virtuti confidit ? » Hic tangimus unam e maximis causis dissensionis Christianismi et Hellenismi. In societate Romana magni æstimantur viri probi et iusti ; delinquentes autem despiciuntur ; eruditi homines, qui præcepta philosophorum diligenter sequuntur, putant se esse iustos et peccatis vacuos ; quare putant se solos Deo gratos esse ; eorum religio ad paucos electos spectat. Contra Christiani autumant peccatores atque omne genus hominum improborum, si pœnitentiam humiliter agent, Deo gratiores fore quam isti, qui se habent iustos ; præterea dicunt etiam iustum cottidie ad minimum septies peccare.

De Deo in terram descendente : « Cur Deus in terram descendat ? Ut comperiat, quid agatur apud homines ? An pro eorum salute ? Si ita est, censere debemus Deum post tot millennia de hominibus tan-

dem curavisse. Hoc congruere non potest cum sapientia Dei. »

De Genesi : « Iudæi, ignari venerabilium narrationum veterrimorum populorum, excogitaverunt incredibilem rudemque Genesis narrationem. Frustra nonnulli Christiani rem per allegoriam explicare conantur. Veritas est hæc : Deus, ipse immortalis, nihil immortale creat. Anima tantum est eius opus ; corpus aliam habet originem ; oritur enim e materia, quæ æque æterna est ac Deus. Mala proveniunt e materia eorumque summa est constans, quia natura Universi una est atque eventa futura semper volvuntur in eodem circulo secundum immutabilem ordinem. »

De anthropomorphismo : « Nonne ridiculi sunt Iudæi, qui Deo tribuunt sermonem minacem iracundumque, quasi esset homo. Stulte etiam autumant Naturam pro homine solo ordinatam esse. »

De Deo a Iudæis capto : « Insaniunt isti, cum credant Deum, postquam ceteros homines in ignem æternum miserit, solos Iudæos resuscitaturum esse cum carne et ossibus. Impium certe non est leges et fidem maiorum servare, sed Iudæi sibi soli veritatem arrogare volunt nec volunt consuetudinem cum ceteris gentibus iungere. »

De sapientia : « Christiani dicunt humanam sapientiam insaniam esse coram Deo. Sed hæc sententia a Græcis oritur. Socrates ipse sibi arrogare non audebat hanc divinam sapientiam, quam Græci sapientiæ humanæ opponunt. Christiani vero hanc sapientiam incultioribus stupidioribusque hominibus dispensant. Falsam humilitatem et difficultatem Regnum Dei ingrediendi, quam habent soli divites, a Platone sibi perverse assumpserunt. Eorum commentum de Regno Dei omnino impar est Platonis commento. »

De Satana : « Alius error istorum ignarorum, qui mythos non intellegunt, est de Dei quodam adversario, quem Satanam vocant. Singularis impietas est dicere Deum, cum hominibus opem ferre vult, a Satana impediti. Hæc sunt circulatorum verba, qui aliquid deprompserunt de antiquis mythis bellicis. »

De signis : « Christiani repudiant omnes Dei imagines, quia lapis, lignum, æs, etc, Deum esse non possunt. Sed tam stulti non sunt Hellenismi fautores, quam ut signa cum deis ipsis confundant. Causa fortasse est quod Deus formam humanam non habet ; sed ipsi Christiani dicunt Deum hominem ad suam imaginem creavisse. Per occasionem Christiani admittunt signa in honorem Dæmonum ficta esse, sed, ut aiunt, ei, qui Deum adorat, non licet dæmones colere. Cur vero non liceat eos venerari, quibus Deus delegavit regimen rerum terrestrium ? Quia, aiunt, nefas est

duos dominos simul adorare. Sed ipsi Iesum, Dei filium, colunt, quo demonstratur eos et dominum et eius ministrum colere. Præterea neque Iudæi neque Christiani negant existentiam Dei ministrorum, quos angelos vocant. »

De pœna æterna : « Initiati mysteriorum et Christiani utrique credunt pœnam æternam exstare atque alteri alteris eam minantur. Utri verum dicunt ? »

De festis publicis : « Principio oportet animam ad Deum tollere. Postea cur malum sit benevolentiam deorum secundariorum sibi allicere, quin etiam regum et potentium, cum illi nullam potentiam habere possint sine Dei licentia ? Romani nolunt Christianos ad res impias cogere, festa tamen publica participare malum non est si dei secundarii non exstant, et bonum est si exstant. »

De cultu imperiali : « Ut supra dictum, malum non est per imperatorem, imperii caput, iurare, cum ille omnibus pacem procuret. Si Christiani volent fidelitatem erga imperatorem labefacere, punientur ; nam, si omnes eos imitentur, mox imperium præda barbarorum fiat ac finis sit omnis cultus civilis. »

Ceterum causæ Romanorum repugnantiaæ erga Christianismum sunt intellectuales, sensuales, religiosæ, sociales et politicaæ.

Causæ intellectuales imprimis. Notio intellectualis et moralis Hellenismi orta est ex infestis Christianorum scriptis « Contra Hellenes » intitulatis. Ibi vituperantur philosophi, quorum doctrinæ inter se discrepant. Plato non magis æstimatur quam Epicurus. Tota « doctrina sæcularis litteraturæ » habetur reiicienda. « Quid ergo Athenis et Hierosolymis ? quid academiae et ecclesiae ? » scribit Tertullianus.<sup>2</sup> « Nobis curiositate opus non est post Christum Iesum nec inquisitione post euangelium. Cum credimus, nihil desideramus ultra credere. » Origenes « demonstrationi Hellenicæ », quæ fit dialectica, opponit « demonstrationem magis divinam », quæ nititur prophetiis et miraculis. Socrates docet virtutem esse scientiam ; nam satis est bonum novisse, ut id velis exercere ; peccatum ergo est error iudicii. Contra, Christiani autumant malum non esse errorem iudicii, sed effectum voluntatis perversæ contra Deum legis auctorem.

Causæ sensuales. Societas Romana magni æstimat virum probum et iustum, sed despicit delinquentes. Quare Romani stomachantur, cum Christiani autumant peccatorem pœnitentem Deo gratiorem esse quam iustum. Deus Hellenismi est deus patricius, quem colunt fortes ; non est patronus miserabilium hominum. Hic tangimus præcipuam incrementi Christianismi causam.



Nova enim doctrina est democratica ; spectat ad homines humiles et animo simplices, quos propter candidam caritatem et cæcam fidem præfert Deus. Hæc valorum transmutatio oritur e commento semitico transcendentia Dei, coniunctæ cum exclusoria cura salutis æternæ. Eis qui ita censent, scientiæ naturales sunt nugæ vanaque curiositas. « Deum et animam scire cupio. Nihilne plus ? Nihil omnino » sunt verba sancti Augustini in Soliloquiis<sup>3</sup>.

Causæ religiosæ. Præsertim tempore imperii Romani cives fruebantur tota libertate religiosa. Religio Romanorum constabat e ritibus a maioribus traditis, sed cuius significationis essent plus minusve obliti erant. Vix erant ordines sacerdotales ; laicis pro certo tempore delegabatur cura cærimoniarum. Veteri religioni superpositus erat cultus imperialis, sua sponte in provinciis natus. Orientales Romanorum subditi transtulerunt cultum suorum pristinatorum regum ad « deam Romam », quæ erat insigne eius potentia et benefici regiminis. E provinciis hic cultus in Urbem acceptus est, ubi Hadrianus eum officialiter instituit tempore quo templum Veneris et Romæ exstruendum curavit. In Latina imperii parte, cultus dicatus erat genio vel numini imperatoris. In parte autem Græca, cum deesset vocabulum idoneum ad « genium » reddendum, adhibitum est vocabulum θεός. Apotheosis defunctorum imperatorum, quam iam Augustus et Tiberius Romæ instituerunt, a senatu conferebatur, si lubebat ; defunctus imperator vel imperatrix tunc vocabatur divus vel diva, i.e. inter beatos receptus, sed cultus officialis eos numquam assimilavit ipsis deis. In civium vita tum privata cum publica iurandum erat per Genium aut Fortunam Imperatoris coram principis imaginem. Hic cultus maioris momenti erat magistratibus Romanis, quam ceteræ religiones, cum solus esset de quo diversæ imperii gentes consentire possent.

Secundo sæculo Romani exculi generaliter credunt unicum supremum Deum omnia regere, instar imperatoris populos regentis. Ii, qui se ad Stoicos inclinant, Deum vocant Animam Mundi ; ceteri dei, heroes, astra sunt particulæ huius animæ universalis. Mythologia tractatur in modum allegoriæ. Alii autem malunt interpretationem Platonicam, ubi Deus solitarius habetur architectus universi, sed ubi etiam agnoscuntur mediatores, quos Hellenes dæmones vocant et Itali genios.

Causæ sociales. Veræ persecutionum causæ fuerunt sociales. Excultis enim Romanis Christiani videbantur esse turba execrabilis omnium hostium generis humani, qui contra societatis ordinem conspirabant, militiam et munera publica assumere nolebant, cælibatum laudibus extollebant, suavitatem vitæ et totum traditum

cultum execrabantur, denique finem mundi prophetizabant. Christiani a ceteris incolis separati vivebant atque nolebant cærimonias et festa participare ; sibi instituerant regimen proprium, ita ut episcopus in magnis urbibus a tertio sæculo se gereret ut magistratus extra officialem administrationem positus.

Celsus bene perceperat scopum universalem (καθολικός) Christianismi ; nam dicit hæc : « Si fieri posset ut omnes populi Europæ, Asiæ, Africæ, tum Græci cum barbari usque ad finem terrarum coniungerentur unica fide, tunc fortasse vestrum conam prosperum exitum habere posset, sed hoc est somnium. »

Causæ politicæ. Christiani unum tantum Deum colunt et unum Dominum, qui est Iesus Christus, quare fieri non potest ut imperatorem vocent dominum. Tertullianus tamen sivit eos imperatorem dominum vocare et per Cæsaris salutem iurare, quamquam « salus » Romæ erat dea. Notandum est post pacem Constantinianam nihil mutatum esse in cultu imperiali, præter sacrificia, quæ sunt abolita. Immo post scissionem cultus amplificatus est in orientali parte imperii. In epigrammate occasione mortis imperatoris Theodosii II pacto de eo dicitur : mortuus est homo, sed vivit deus.

Romani etiam ægre ferunt Christianos se habere extraneos in terra : « Non habemus hic, ait sanctus Paulus, manentem civitatem, sed futuram inquirimus. »<sup>4</sup> Hoc Romanis eo magis displicet, quod fraternitas Christiana barbaros etiam amplectitur, i.e. hostes imperii. Hæc tertio sæculo fuit causa debilitatis exercitus Romani. ❧

1. Pleraque huius symbolæ argumenta excerpta sunt ex opere hoc : Louis Rougier, *Celse contre les chrétiens. La réaction païenne sous l'empire romain*, Paris, Copernic, 1977.

2. *De præscriptione hæreticorum*, 7.

3. Aug., *Solil.*, 1, 2, 7.

4. *Hebr.* 13, 14.

## DE INSTITVTO PAPHROLOGICO LEODIENSI « CEDOPAL »

Fidelis quidam Melissæ lector uxorem habet Mariam-Helenam Marganne, quæ ab anno 2000 institutum CEDOPAL regit in studiorum universitate Leodiensi ; illa notulam ad nos benigne misit, qua scopus huius instituti nostris lectoribus patefieret.

Centrum DOcumentationis PAPHrologicum Leodiense (CEDOPAL) sedem habet in universitate Leodiensi ; ad papyros Græcas et Latinas solum spectans, in papyrologia experientiam et investigationis et institutionis habet amplius centum annorum. Hoc Centrum in orbe scientifico iam diu notum est propter collectionem octo milium photographematum papyrorum Græcarum et Latinarum ; quam collectionem, cum unica sit in orbe terrarum, undique adeunt multi docti, quibus etiam photocopias petere licet. Authenticas quoque papyros Græcas et Latinas possident, quarum pleræque Cairi emptæ sunt ante quinquaginta annos. Invenitur etiam in Centro magna bibliotheca papyrorum editarum, periodicorum, librorum conexorum et multorum aliorum documentorum ; ibi in promptu sunt instrumenta informatica ad informationes imaginæque tractandas idonea.

Ut antea ita nunc Centri scopus est quadruplex : collectionem servare et locupletare, curare ut « Catalogus papyrorum litterariorum Græcarum Latinarumque » continuo augeatur, frequentissimis petitis respondere omnesque papyrologiæ studiosos accipere, denique papyrologiæ studia fovere cursibus, acroasibus, exhibitionibus et publicationibus ; in situ interretiali inveniuntur complura milia schedularum Catalogi et bibliographiæ « Alexandria docta », « Liber antiquus » et « Pharmacopœa Ægyptia et Græco-Ægyptia » necnon exhibitio virtualis « Les livres dans le monde gréco-romain » et pellicula cinemática de « Papyris Leodiensibus restaurandis » anno 2004 confecta.

Quattuor CEDOPAL codices etiam editi sunt, quorum tituli sunt attractivi :

n° 1 Bibliotheca Alexandria et textuum historia.

n° 2 Libri in orbe Græco-Romano.

n° 3 Liber medicus in orbe Græco-Romano.

n° 4 Villa Papyrorum et volumina Herculaniensis.

Hæc est instituti inscriptio cursualis : CEDOPAL, Université de Liège, place du 20-Août, 4000 Liège. <http://www.ulg.ac.be/facphl/services/cedopal/>

## ANDREAS FLOVR NONAGENARIVS

Die 8 mensis Septembris, ipso die quo nonagesimum annum complevit, Andreas Flour Melissæ moderatores invitavit ad rem laute celebrandam in oppido suo Rollario (v. Roeselare). Turbæ progeniei, familiarium, affinium amicorumque, numero fere centum, epulas præbuit et opiparas et iucundas. Ille vir, qui totam vitam athleticas varias exercuit, adhuc mente et corpore validissimus manet, quamquam ante duos annos gravem viarium casum passus est. Munere functus est in Congo, ubi fabricam cervesiariam regebat. Rude donatus et in Belgicam reversus Melissæ sodalis factus est ac diu sessiones circuli Latini participavit. Multilinguis, etiam valebat cum Patre Lecomte, alio

sodale qui missionarius in Congo fuit, sermone indigenarum sermocinari. Una cum Gaio Licoppe libellum conscripsit, c.t. *Ambulatio Latina secundum litus Belgicum* et quem Fundatio Melissa anno 1994 in lucem edidit.

Ei multos prosperos annos exoptamus.







## *In hoc fasciculo !*

*De humanitate et humanismo* [G. Licoppe] p. 1  
*Quid M.T. Cicero doctrinæ de natura deorum contulerit* [L. Willemarck] p. 3  
*Leonis Baptistæ Alberti Momus* [F. Deraedt] p. 9  
*De Celso auctore Christianis infesto* [G. Licoppe] p. 13  
*Orbis Latinus* p. 16

*Imago tegumentis : Cicero mirabiliter depictus*  
(<http://www.unites.uqam.ca/arche/bermes/sq/jesuite/ciceron.htm>)

---

## ACADEMIA LATINITATI FOVENDÆ

Conventus XII Academiae Latinitati Fovendae erit inde a die XV ad diem XIX mensis Septembris anno MMIX Ratisbonae (Regensburg) in Bavaria Germaniae. Inscriturur « Ad fines imperii Romani – anniversario bis millesimo cladis Varianae » (An den Grenzen des R merreichs – 2000 Jahre Schlacht im Teutoburger Wald). Quae attinent ad res administrativas et ad argumenta singula, postea divulgabuntur. Iam nunc colliguntur proposita idonea orationum (30 min.) vel aliorum eventorum aptorum agendorum. Scribas quaeo electronice ad : [sallmann.k@t-online.de](mailto:sallmann.k@t-online.de)

<http://academialatina.org/>

